HANC DE PECULIO ADVENTITIO IRREGULARI EXERCITATIONEM JURIDICAM, DIVINA...

Wolfgang Adam Lauterbach, Johann David Mayer, Valenti Gonzaga

18

EXERCITATIONIS
De Peculio Adventitio Irregulari

PRÆFATIO.

QUanquam vis & lex Naturæ semper in ditione parentum liberos esse jubeat. Plinius *in paneg. Trajan.* Nulli tamen fuerunt homines, qui talem (*a*) in liberos habuerunt potestatem, qualem Romani olim habuerunt. *§. 2. l. d. pat. pos.* Illorum siquidem in liberos potestas neque finem habuit, neque modum. Non (*b*) finem; quia in omne vitæ filii tempus producta fuit, etiamsi summos honores gessisset, & laudem singularis erga Rempublicam studii consecutus esset. Non (*c*) modum; quia immensa fuit & plane δεσποτικὴ. Nam filiusfamilias ex lege Romuli in Patris sui manu, potestate, mancipioque extitit, qui jus in eum habuit vitæ, necisque, terq; venundandi potestatem. Ut servus domino, ita filius patri cuncta pleno jure acquisivit. *pr. & §. 1. l. per quas person. cuiq. acquir.* Idemque plane jus & in corpus & in bona liberorum pater habuit, quod dominus in servos, uti expresse testatur Dionysius Halicarnass. *lib. 2. & 8.* Verum procedente tempore hæc parentum potestas & ratione Personarum & ratione Rerum multis modis fuit imminuta, & varia Peculiorum genera à rationibus paternis sunt separata atque liberis concessa. Quia vero Sapientes peculium cum fœnore in animis reponunt, eoque solicite laborandum esse monent, ut id ipsum magis magisque indies augeatur & exornetur: eapropter ne ego in celeberrimo hoc loco Academico illud neglexisse videar, quædam de Peculio Filiorumfam. Adventio Irregulari conscribere & publicæ Eruditorum Censuræ impræsentiarum subjicere constitui. Quod ut facilius feliciusque procedat,

Annue tu cœptis CHRISTE benigne meis!

Tota Exercitatio De Peculio Adventitio Irregulari *constat* 1. Præfatione: *qua continet* a) *Patriæ potestatis delineationem; plus nimio olim quidem rigidæ tam rationis* b) *Finis, quam* c) *Medi. Sed hodie multa ex parte imminuta; per peculiorum distinctionem introductam.*

2. *Propositi rationem.*

3. *Numinis Divini invocationem.*

THE-

THESIS I.

II. Tractatione: qua vel Generalis, ubi occurrit I. Definitio, eaque a) Nominis; quæ involvit tum b) 1. Etymologiam, quam c) Homonymiam. ... Ipsius rei.

PRiusquam vero in hac ipsa materia pertractanda ulterius progrediar, haud abs re fuerit, generalia quædam, ut specialia melius deinde intelligantur, præmittere, atque inter hæc nominis definitionem primo loco examinare. Peculium (a) autem, (b) quasi pusilla pecunia, sive pusillum patrimonium dictum, *l. 5. §. pen. ff. h. t.* non uno eodemque in jure nostro accipitur modo. In (c) *L.* enim *79. §. 1. ff. de leg. 3.* denotat pecuniam, quam præsidii causa quis reposuit, & non nisi immensa necessitate urgente expendit: Germanis dicitur ein Schatzgelt/Nothpfenning. II. Significat Patrimonium hominis, qui sui juris est, *l. 16. pr. ff. ad SC. Treb.* III. Hoc Peculii nomine etiam notantur bona & res uxoris paraphernales, *l. 9. §. 3. ff. d. jur. dot. l. 31. §. 1. ff. de donat.* IV. Designat universitatem rerum, quam possideant illi, qui vel in patria vel dominica sunt potestate; quæ significatio est hujus loci.

II.

Definitur autem Peculium in hac ultima significatione, quod sit Universitas Rerum sive quasi patrimonium illius, qui in alterius est potestate, à rationibus illius, cujus potestati subjectus est, jure separatum, *l. 4. pr. l. 5. §. 2. & 3. l. 8. ff. h. t.* Dicitur in fronte hujus definitionis, quod sit Universitas; per *l. 20. §. 10. d. her. pet.* quæ in genere nihil aliud est, quam totum aliquod collectivum, quod comprehendit plura corpora inter se distantia & communi nomini subjecta. Nic. Losæus *tr. d. jur. univ. part. 1. c. 1. n. 2.* Dn. Tab. *in partit. elem. p. 2. th. 25.* Cum autem hæc vel Personarum sit, ut Collegium, sive Civitas; vel Rerum; Besold. *in delib. jur. ad lib. 3. ff. qu. 24. in pr.* proinde additur in descriptione, quod sit universitas rerum; quæ iterum est vel facti, sive hominis facto constituta, ut grex; vel juris, à jure sc. inventa, ita ut plura quoque comprehendat jura: ut est patrimonium & hereditas vid. Dn. Joh. Ott. Tab. *d. part. 2. th. 17.* Hortens. *ad §. si quis 1. de fideicomm.* ad quam ultimam speciem etiam pertinet Peculium, *l. 56. ff. de R. V.* Addita porro est vocula illa, Quasi; quæ ut plurimum in jure improprietatem, & hic quoque differentiam inter verum patrimonium & peculium indicat. Sicut enim homo sui juris non potest habere peculium: ita & ille, qui alterius subest potestati, non potest possidere verum & pro-

pcie

prie dictum patrimonium, *l. 182. ff. d. V. S. l. 5. §. 3. l. 32. in f. pr. l. 47. §. f. ff. h. t.* Et quam primum aliquis sui fit juris, statim peculii nomen evanescit, & in patrimonii titulum transit. *l. f. §. f. C. de inoff. testam.*

III.

Jure (*a*) Veteri quidem Peculia tantum voluntas & factum sive actualis separatio domini vel patris constituebat; Novo (*b*) vero etiam legis dispositione citra voluntatem & factum peculia quædam, Castrensia scil. quasi Castrensia & Adventitia à rationibus paternis separantur. Peculium (*c*) autem habere possunt illæ personæ, quæ in aliena sunt potestate, filii (*d*) scilicet & servi, non vero (*e*) sui juris homines, uti ex *ll. in præced. th. 2. alleg.* sufficienter probatur. Res, (*f*) quæ in peculium dantur, sive sint corporales, sive incorporales, mobiles, an immobiles, nihil refert. *l. 7. §. 4. h. t.* Modo (*g*) vere & jure à rationibus paternis & dominicis sint separatæ, Nuda patris vel domini voluntas non sufficit; nec filii vel servi separatio peculium facit *per l. 4. pr. l. 8. ff. h. t.* Hæc (*h*) autem separatio diversimode fit. Peculium enim (*i*) servorum tantùm separatum est quoad administrationem, quod dominus ipsi, quandocunque vult libere adimere potest *l. 8. in f. h. t.* Filiorum (*k*) vero peculia variis segregantur modis, ut ex sequentibus clarius patescet.

II. Causa Efficiens: *quæ alia erat* a) *Iure veteri, alia est* b) *Iure Novo.* III. c) Subjectum: *quod constituunt* d) *1. Filij. 2. Servi: non vero* e) *Sui juris homines.* IV. Objectum. V. g) Forma: VI. h) Effectus: *qui alius est in* i) *servis alius in* k) *filiisf.*

IV.

Peculium dividimus in Peculium Servorum (*a*) filiorumfamilias. Illud est, quod servus domini permissu à rationibus dominicis seorsim habet, *l. 5. §. f. ff. h. t.* neque in plures species dividitur, sed tantum separatum est quoad administrationem, hodieque apud nos utilitatem vel nullam, vel exiguam admodum habet. Nam nostri famuli & homines proprii, sua bona jure patrimonii possident. Hoc vero, (filiale scil.) dicitur, quod filiifam. à rationibus paternis separatum habent. Quod cum servili jure antiquo unius fuit conditionis; *§. 1. I. per quas pers. cuiq. acquir.* quod jus tamdiu duravit, usque dum Imperatores peculium Castrense pleno filiis jure concesserunt; ad cujus exemplum non multo post etiam quasi Castrense, ut per hoc ad literarum studia, per illud vero ad militiæ labores invitarentur adolescentes, fuit introductum. *l. 6. in f. pr. C. d. bon. quæ lib.* Tandem Justinianus omnes illas res, quas filii extra causam veræ vel quasi militiæ, aliunde & non ex substantia vel re patris acquirerent, à rationibus paternis separavit, filiisve fam.

VII. Divisio: *quæ vel est 1. Universalis: & continet* a) *Totius peculij divisionem.* *Vel 2. Specialis:*

qua

b) Peculium Filiifam. dividitur, & c) In quas species 1. subdividitur.

fam. ſub peculii adventitii nomine conceſſit. §. *1. I. per quas perſon. & c. d. l. 6. pr. C. de bon. qua lib.* His præmiſſis Peculium filiorumfam. rectiſſime diſpeſci poteſt in Militare. (*b*) vel Paganum. Illud, (*c*) militare ſcil. iterum in Caſtrenſe & quaſi Quaſi Caſtrenſe. Hoc vero in Profectitium & Adventitium. Bachov. *ad §. Igitur. 1. I. per quas perſ. nob. acquir. num. 2.* Et quanquam non deſunt, qui hanc peculiorum diſtinctionem ſpecioſis certe argumentis infirmare conantur; nos tamen, neque obſtantibus illorum argumentis, quibus noſtra haud minoris forſitan momenti opponemus, neque textibus contra nos adductis, quibus itidem in conflictu reſpondebimus, hanc diviſionem; ut inter DD. receptiorem; ita juri quoque magis conventiorem merito retinemus ac propugnamus.

V.

1. Definitur & I. quidem Peculium Caſtrenſe.

Eſt autem Caſtrenſe Peculium, quod Imperatorum conſtitutionibus, filiofam. militi vel in militiam eunti ex militia armata vel ejus occaſione eſt acquiſitum & pleno jure à rationibus paternis favore militiæ ſeparatum, *l. 6. & 11. ff. de Caſtr. pec. l. 1. Cod. eod. pr. I. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.*

II. Quaſi Caſtrenſe.

Quaſi Caſtrenſe peculium eſt, quod ab Imperatoribus ad ſimilitudinem Caſtrenſis peculii introductum, & pleno jure à rationibus paternis ſejunctum eſt, ea continens, quæ filiusfam. ex quaſi ſive togata militia vel ejus contemplatione licite ſibi acquiſivit *§. f. I. d. milit. teſt. l. 6. in f. pr. C. de bon. qua lib. l. ult. C. d. f. inoff. teſt.*

III. Profectitium.

Profectitium illud nuncupatur, quod voluntate parentis ab ejusdem rationibus quoad ſolam adminiſtrationem eſt ſeparatum, & neque ex vera vel quaſi militia, vel etiam aliunde, ſed ex re & ſubſtantia patris, aut ejus intuitu ad filiumfam. pervenit. *§. 1. I. per quas perſon.*

IV. Adventitium: *quod ſubdiſtinguitur in* Regulare *vel* Irregulare

Adventitium vero Peculium eſt, quod legis diſpoſitione in favorem liberorum, extra cauſam armatæ vel togatæ militiæ à rationibus paternis eſt ſeparatum & complectitur ea, quæ filiusfam. non ex militia ſive proprie ſive improprie ita dicta, vel ex re & ſubſtantia patris, ſed aliunde ſibi acquiſivit atque comparavit. *d. §. I. b. t. l. 6. pr. l. 8. pr. Cod. de bon. qua lib.* Eſtque vel Regulare, Ordinarium, ſive minus Plenum, (uti DD. paſſim hiſce vocabulis utuntur) vel Irregulare, Extraordinarium ſive magis Plenum. Prius eſt, in quo ſecundum ordinariam adventitii peculii naturam, uſusfructus patri, proprietas vero filio acquiritur atque conſervatur.

VI. Hi-

VI.

Vel Tractatio Specialis, & tradit Peculij adventitij Irregularis.

I. Definitionem *ejusdemque* Illustrationem.

Hisce de Peculio in genere præmissis, ad ipsam, ipsius Peculii Adventitii Irregularis tractationem nos nunc conferimus, scopoque nobis præfixo propius paulo accedimus. Peculium itaque Adventitium Irregulare (de quo hic loci plura edisserere nobis est animus) est, quod ex singulari legis dispositione à rationibus paternis omnino est separatum, liberisq; contra ordinariam & regularem peculii adventitii naturam pleno jure tam quoad proprietatem, quam quoad usufructum concessum, eaque complectitur, quæ nullo utriusque militiæ prætextu, sed aliunde, & non ex re patris obvenerunt, *l. pen. & ult. Cod. d. bon. quæ lib.* Quænam illa (cujus in definitione mentionem fecimus) legis sit dispositio, per quam hæc peculii species introducta, dicemus infra, cum ad casus exceptos peculium hoc constituentes, pervenerimus. Additur ulterius in definitione, quod sit Irregulare, quale omne illud est, quod non secundum regulam fit. Item Extraordinarium, quia ex principis, Justiniani sc. (ut supra th. 4. paucula quædam annotavimus) dispositione, contra ordinariam peculii adventitii naturam, adeoque contra juris communis tenorem & dispositionem est introductum, multoque pinguius in se continet jus, quam Regulare, ut ea ratione non incommode etiam magis Plenum quibusdam appellari sit solitum. Reliqua definitionis verba ex sequentibus melius patebunt.

VII.

II. Causam Efficientem: quæ vel Remota est, ubi notetur tempus a) 1. Vetus. b) 2. Novum.

Quoad res adventitias illarumque acquisitionem tria distinguenda sunt tempora: Vetus, Novum & Novissimum. Veteribus (*a*) Romanorum temporibus omnia adventitia filiorum fam. patri, cujus in potestate existebant, pleno jure acquirebantur, *§. 1. I. per quas pers.* (*b*) Verum ab hoc jure Imperatores sensim sensimque recesserunt, & inter hos (uti plerumque traditur) Constantinus primum materna bona detraxit, usumfructum eorum patri concedens, proprietatem autem filio reservans, *l. 1. C. d. bon. mat.* Illum secuti deinceps sunt alii Imperatores: Gratianus, Valentinianus, Theodosianus, Arcadius & Honorius, qui idem prorsus in bonis ex materna cognatione delatis, statuerunt juris, *l. 6. C. Theod. d. bon. mat.* Porro Theodosianus & Valentinianus, Leo & Athemius idem ad nuptialia & sponsalitia lucro produxerunt, *l. 1. l. 4. C. d. bon.*

3. Novissimum. *d. bon. quæ lib.* Tandem Justinianus generali constitutione promulgata, non modo omnia adventitia ejusdem juris esse voluit, *l. 6. C. d. bon. quæ lib.* Dn. Præs. *in disp. de usufr. pater. th. 6.* Sed Speciales insuper & certos quosdam casus, in quibus pater omnino nihil commoditatis haberet excepit, atque sic hujus Peculii Adventitii Irregularis primus extitit Autor; ut liquet ex Nov. *117. c. 1. l. cum multa. 7. & ult. in pr. vers.* Sive è contrario C. *de bon. quæ lib.* Nov. *118. cap. 2. vers. Si vero*; cum Authent. Idem est C. *d. bon. quæ lib. l. ult. §. 6. inf. vers. quæ in legatis, &c.* C. *d. tit.* Nov. *134. cap. 11.*

VIII.

Vel Impulsiva. Causa impulsiva propter quam Justinianus Imperator hoc peculium introduxit & pleno jure à rationibus paternis separavit atque filiisfam. concessit, est diversa; & quidem vel dignitas aut eminentia, aut voluntas ejus à quo hæ res ad filium fam. perveniunt, *l. 7. C. de bon. quæ lib.* Nov. *117. cap. 1.* vel consensus aut dissensus patris, *l. 6. §. 2. vers. Sin autem. l. 8. C. d. bon. quæ lib.* vel qualitas rei, *l. f. §. f. C. d. bon. quæ lib.* odium parentum, Nov. *134. c. 11.* vel nudus favor filiorum, Nov. *118. c. 2.*

IX.

III. Subjectum: quod sunt filiisfamil. sine differentia. 1. Dignitatis vel conditionis. Concessit autem Imperator hoc Peculium filiisfam. *l. 7. C. d. bon. quæ lib.* quales ii dicuntur, qui in sacris paternis adhucdum sunt constituti. Patria potestas sive nuptiis, sive legitimatione, sive adoptione constituta fuerit, nihil quoad præsentem materiam interest. Nec quidquam refert, filiifam. cujuscunque sint conditionis, sive sint milites, Clerici, Adsessores, Advocati & similes. Licet enim hi Castrense quoque & quasi Castrense peculium habere possint: nihil tamen obstat, quo minus & profectitium & adventitium Regulare vel Irregulare habeant. Neque enim omnia, quæ militibus, Clericis sive Advocatis dantur & relinguuntur, Castrensi vel quasi Castrensi peculio cedunt; sed ea tantum, quæ ratione & occasione, veræ vel quasi militiæ ipsis acquiruntur, *l. 11. ff. d. Castrens. pec. l. 4. C. d. Advoc. l. 1.* Denique nec gradus vel sexus in hoc peculio attenditur. Nam filias quoque famil. tale peculium habere posse,

II. Sexus. patet ex *l. 7. C. de bon. quæ lib.* Nov. *117. c. 1. pr.* Et alias etiam sub filiorum appellatione filias comprehendi, manifesti juris est: cum masculinus sexus fœmineum quidem, sed non vice versa fœmininus masculinum contineat sexum; *l. 45. d. leg. 2.* exemplo enim (ut dictæ legis verba sonant) pessimum est, fœminino vocabulo etiam masculos contineri.

Nepotes quoque in avi poteſtate conſtitutos idoneum & habile hujus peculii ſubjectum eſſe, probat d. Nov. *117. pr.* Et quamvis aliter filii aliter nepotes appellentur; & hi regulariter filiorum appellatione non comprehendantur: attamen filiorum appellationem interdum etiam latius accipi, ut nepotes comprehendat, ipſe docet Imper. *in l. 84. l. 201. l. 220. d. V. Sign.* dummodo adhuc in avi poteſtate ſint conſtituti. III. Gradus.

X.

In hoc Peculio eſſe poſſunt res omnes Corporales & Incorporales, mobiles & immobiles; *l. 7. Cod. d. bon. quæ lib.* modo citra cauſam Caſtrenſem vel quaſi Caſtrenſem extrinſecus aliunde & non ex re patris ad filium pervenerint, & à lege ſpecialiter & pleno jure à paternis rationibus ſeparatæ ſint; quales ſunt: 1. Hereditas, aliæque res, quocunque titulo ſive ultima voluntate, ſive inter vivos delatæ & à filiofam. diſſentiente patre quæſitæ. *l. 8. pr. Cod. d. bon. quæ lib.* Etenim ex nova Juſtiniani conſtitutione, ſicuti ob diſſenſum filii bona adventitia pleno jure patri cedunt; ita ex adverſo etiam ob Patris diſſenſum, plenum dominium in hiſce rebus acquirit filius *d. l. 8. pr. C. d. bon. quæ lib.* Quæ omnia vera ſunt & procedunt, non tantum ſi filiusfam. ſit perfectæ ætatis; ſed etiam, ſi ipſe adhuc in ſecunda ætate conſtitutus, id eſt, pubertatem quidem, ſed nondum 25. ætatis annum compleverit, ſalvo tamen filiofam. minori reſtitutionis in integrum remedio. *l. ult. §. 1. C. de bon. quæ lib.* Et hæc non tantum in hereditate & rebus filio ipſius intuitu delatis; ſed etiam in aliis quæ filiofam. contemplatione patris ſunt relictæ & datæ, procedere putat Trentacinq. tradens, patres recuſante, talem hereditatem filium adire poſſe, illamque pleno jure apud ipſum manere. *lib. 1. tit. de pecul. reſol. 5. n. 6.*

IV. Objectum: *quod conſtituunt*

1. Hereditas: aliaque res renuente patre quaſita.

XI.

Res ab aliquo parentum vel etiam extraneo filiofam. ea lege & conditione delatæ, legatæ, vel aliquo quovis modo relictæ, ne ad patrem, cujus in poteſtate eſt, uſusfructus perveniat, ſed plenum dominium & uſusfructus & propterea filio acquiratur. Nov. *117. cap. 1.* Quæ enim (ut verba d. textus habent) invidia eſt, ſub hac conditione relinquere aut dare ea, quæ plane in alium transferri poterant, unde nulla parentibus utilitas naſceretur, *d. c. 1. pr.*

II. *Res ſub conditione, ne ad Patrem uſusfructus perveniat, relicta: Quæ conditio apponitur vel Licite: Expreſſis.*

B Cum-

& hoc verbu tam

Cumque testator vel alius donator extraneus haud aliter jus suum transferre voluerit, nisi sub hac ipsa lege & conditione, quid obstabit, quo minus voluntas disponentis servetur? Auth. *excip. C. d. bon. qua lib.*

XII.

Quam Tacitis; *Ubi ex conjecturis voluntas dantis præsumitur.*

Cæterum non semper conditionem hanc Expresse; sed & nonnunquam dispositioni tacite inesse, ex sequenti exemplo optime colligi potest. Si enim v. g. mater vel aliquis extraneus filiofam. aliquid donent, aut reliquant, hanc apponentes legem, velle se, ut hoc filiifam. Castrensi peculio vel quasi cedat; patri per consequens ususfructus videtur ademtus: Etsi autem natura rei & circumstantiæ concurrentes non patiantur, ut illud peculio Castrensi vel quasi Castrensi annumeretur; attamen quod ita donatum vel relictum, recte ad peculium adventitium Irregulare refertur: cum ex voluntate & mente Testatoris satis perspicue appareat, voluisse illum ut ad filium, non vero ad patrem ususfructus perveniret. Mol. *tract. d. I. & I. disp. 230. n. 6.* Aliud & simile exemplum tradit Heigius *part. 2. quæst. 12. per tot.*

XIII.

Vel Illicite: *quando* Legitimæ *adjicitur.*

An autem mater patri usumfructum Legitimæ liberis suis debitæ jure adimere possit? acris est inter DD. Controversia. Affirmanti parti quamplurimi quidem accedunt. Verum nos negantium Castra secuti contrarium statuimus; dicentes, non posse hanc legem Legitimæ imponi. Imperator enim in d. Nov. *117. cap. 1.* Matri & aviæ potestatem hanc sub hac lege & conditione liberis aliquid donandi vel relinquendi non simpliciter & absolute, sed certo cum moderamine & limitatione concessit, nimirum, postquam reliquerint filiis legitimam. Ex quibus haud obscure innuitur, quod tunc demum, quod reliquum suæ substantiæ habent, sub hac lege relinquere possint, cum filiis reliquerint portionem lege debitam; cujus sententiæ assertorem habemus Harppr. *in Comm. ad I. T. 2. ad tit. per quas pers. §. 1. n. 10.* Thom. Sanchez. *lib. consiliorum moralium 1. cap. 2. dub. 16. n. 2.* Perez. *in Cod. ad tit. d. de bon. qua lib.* Mol. *d. j. & j. disp. 8. n. 2. vers. Sunt. vero.* Dn. Struv. *Exercit. ad π. 12. th. 5. excep. 1.*

XIV.

III. Donationes Regales.

III. Illæ res, quas filii vel filiæfam. à Serenissimo Principe vel Piissima Augusta donationis titulo acceperunt. Has enim

enim omni acquisitione absolutas habent, neminique eas acquirunt. Utque Imperialis fortuna omnes supereminet alias: ita oportet liberalitates quoque principales culmen habere præcipuum, *l. 7. C. d. bon. quæ lib.* Et hoc non tantum in ipso Imperatore, sed etiam in aliis Principibus Regalem dignitatem habentibus locum habere, post alios docet Enenck. *d. tr. priv. 4. c. 7. n. 20.*

non tantum Imperatoris & Augustæ, sed etiam aliorum Principum.

XV.

IV. Recte etiam casibus hisce exceptis annumeratur portio hereditaria, quam filiusfam. una cum patre fratri suo Germano succedens consequitur. Etenim ex novo jure, si filius defunctus sit, nullis relictis liberis, pater, mater, & frater ejus ex utroque latere junctus, simul jure hereditario pro portionibus virilibus succedunt, nullo, in portione filio delata, reservato patri usufructu. *Nov. 118. cap. 2.* Perez. *in Cod. ad d. tit. 6. n. 12.*

IV. Portio *in hereditate fratris à filiof. quæsita.*

XVI.

V. Huic numero ulterius accedunt illæ res, quæ filiisfam. ex lege ob delictum matris divortium sine causa facientis, deferuntur, ipsisque pleno jure acquiruntur. *Nov. 134.* Referunt quidem hic plurimi indistincte bona ob delictum parentum à lege liberis delata: verum, quamvis culpa viri contingat divortium, bona tamen hæc, quæ viro auferuntur, & ad liberos pleno jure spectant, ad adventitia bona, de quibus hic agimus, pertinere non videntur. Cujac. *in Cod. T. d. bon. quæ lib.*

V. Res *ob divortium matris ad liberos delata.*

XVII.

De Feudo, quod filiusfam. accepit, non satis convenit inter DD. qui epropter acriter invicem contendunt, an scil. illius ususfructus parenti vi patriæ potestatis, an vero filio pleno jure acquiratur. Quanquam autem prior multis arridet; nos tamen negantium sententiæ subscribentes recte statuimus, quod tale feudum non patri, sed filio in totum acquiratur. Si quidem feuda non alii debent acquiri, quam ei, quem idoneum dominus ipse judicavit, cujusque industrium in præstandis servitiis elegit. At dominus, qui filiofam. feudum concedit, ex natura feudi hoc semper agere præsumitur, ut ipsi vasallo & feudum accipienti, usus-fructus quæratur. Harpp. *ad Inst. T. 2. tit. d. usufr. ad §. 1. n. 31. & seqq.* Thom. Sanchez. *consil. mor. lib. 1. c. 2. dub. ult.*

VI. Feudum *filiofam. ab Externo datum.*

XVIII.

VII. *Servi, cum conditione, ut statim manumittentur filiisfam. dati.*

VII. Excluditur parens à perceptione ususfructus, si forte filiisfam. servi cum conditione, ut statim eos manumitterent donati vel legati fuerint. Cùm enim in ipso momento manumittere eos necesse habeant, usůsfructus patri acquiri non potest, *l. f. §. f.* C. *d. bon. qua lib.*

XIX.

VIII. Renunciatio *patris spontanea, qua vel est* Expressa.

Ultimum tandem exceptionibus hisce finem imponit Renunciatio Paterna, quando parens usumfructum rerum adventitiarum, quem Legis ipsi dispositio vi patriæ potestatis ejusque jure idque ad tempus vitæ defert *l. 1. l. 4. & f. §. 5. d.* C. *d. bon. qua lib.* Nov. *22. c. 34.* filiofam. sponte & ex libero arbitrio expresse remittit, *l. 6. cum oportet. §. non autem. vers. Sin aut.* C. *d. bon. qua lib.* Quod pater libere omnino facere potest: cum quilibet juris favori, pro se introducto renunciare possit, *l. pen.* C. *d. pact.* Neque fructus ex hisce rebus perceptos filiusfam. in divisione hereditatis cum aliis fratribus tenetur conferre, *d. l. & vers.* neque cæteri fratres ut inofficiosam donationem revocare possunt. Sanch. *d. tr. c. 2. dub. 14.* Mol. *tr. d. j. & j. disp. 8. vers. Secundus.* Cardinal. de Lugo, *d. just. & jur. disp. 5. sect. 2. n. 23.* Harppr. *ad tit. I. per quas person. &c. §. 1. n. 8.* Dn. Carpzov. *p. 2. C. d. 12.*

XX.

Vel Tacita.

Tacitam quoque patris remissionem sive renunciationem hîc sufficere, communis est DD. sententia: ita ut filius plenum quoque dominium consequatur, & res ad hoc peculium recte referantur, si pater sciens permittat, ut filius ex illis rebus, quarum usufructus alias jure ad patrem pertineret, fructus percipiat, sibi illas retineat, & libero suo arbitrio de rebus illis & illarum fructibus disponat. Mol. *d. tr. disput. 8. vers. Quo loco observa.* Sanch. *loco infra cit.* Qui tamen hoc restringunt ad fructus præteritos à filio perceptos: quoad futuros autem fructus hoc ita declarant & limitant, ut pater quandocunque velit, usumfructum revocare & fructus sibi acquirere possit, Sanch. *d. lib. & c. dub. 15. n. 2. & 5.* Mol. *d. l.* Verum aut constat de voluntate patris, quod ipsum usumfructum in rebus filiifam. adventitiis non acquirere, sed eundem filio relinquere velit, aut de tali voluntate non constat. Priori in casu patris pœnitentia locum habere non videtur. Renun-

nuncianti enim juri suo non datur regressus ad illud, quod repudiavit, *l. 12. §. 1. ff. d. acquir. hered. l. 14. §. 9. d. adil. edict.* Si vero de tali voluntate patris non constat, quod ipsum scil. usumfructum acquirere nolit; tunc illæ res, licet filius patris permissu fructus ex illis perceperit, non tamen recte huic annumerantur peculio. Plures quidem exceptiones enumerat Trentac. *lib. 1. Resol. 5.* Sed cum illæ textibus juris non ita bene conveniant, neque etiam apud alios, quos mihi quidem videre licuit, auctores reperiantur, ideoque illas, cum ad numerum nostrarum exceptionum commode referri haud possint, non immerito omittimus.

XXI.

In quo hoc Peculium à cæteris differat, ex præcedentibus apparet: scilicet, quod pleno jure à rationibus paternis separatum, liberisque in totum, circa tamen armatæ vel togatæ militiæ causam acquisitum sit; *l. pen. & ult. C. de bon. quæ lib.* Post recensitos itaque casus exceptos, restat, ut paucis videamus, quale *(a)* jus filius, quale pater in hoc peculio habeat. Filius hoc in peculio plenum *(b)* jus, quod ipsi est delatum, retinet, Nov. *117. c. 1. l. 7. & ult. in pr. C. d. bon. quæ lib.* Nov. *118. cap. 2.* & res hujus peculii æque ac paterfam. bona sua, sibi possidet, naturaliter & civiliter, vere vel quasi, prout rerum qualitas hoc permittit. Quoad administrationem tamen distinguendum: An perfectæ ætatis *(c)* sit filiusf an vero imperfectæ. Priori in casu, si scil. ætatem assecutus fuerit filius perfectam, liberam ipsi de rebus his, excepta testamentaria dispositione, agendi attribuimus facultatem *per l. penult. C. qui test. fac. poss.* Nov. *117. c. 1.* Si vero quoad posteriorem casum, filius adhuc imperfectæ sit ætatis; interest, an Testator *(d)* vel alius donator, à quo bona hæc provenere, administratorem sive quasi curatorem dederit, an vero *(f)* non. Quantum ad prius attinet, res est expedita; Quod vero posterius concernit, aut ipse *(g)* pater, si velit onus administrandi in se recipit, *l. 8. §. 1. C. de bon. quæ lib.* Dn. Carpzov. *p. 2. C. 16. d. 10.* aut Curator *(h)* ipsi datur à judice competente, ut hic tamdiu administrationis vices gerat donec filius perfectæ ætatis limites fuerit assecutus d. Nov. *117. c. 1.* Perez. *in C. ad d. tit. 6. bon. quæ lib. vers.* Excipitur. Dn. Carpz *d. l.*

V. Rationem differentiæ.

VI. *a)* Effectum, *ubi considerandum jus* 1. Ipsius Filii, *quod plenum est dominium: b) Distinguendum tamen an is Ætatis sit* Perfectæ, *c) an vero* Imperfectæ: *d) Si posterius, Constituitur aliquis administrator; quem vel Ipse Testator aut donator dedit. e) aut non dedit. f) quo casu, vel pater, si velit, hasce res adventitias administrat. g) Vel Curator datur judice competens. h)*

XXII. Quam-

XXII.

De Paterna administratione dicendum, quod Legibus non sit contraria, esse tamen debeat.

Quamvis enim communis DD. schola patrem ab hac administratione removeat, Perez. *in Cod. ad d. tit. 6. n. 11.* Rittersh. *ad Nov. c. 8. per tot.* aliique complures. Rectius tamen contrarium tuentur Sanchez. *d. lib. & cap. dub. 6. in f.* Castillo *in tract. de usufructu. cap. 3. n. 59. & seq.* Carpz. *p. 2. C. 10. d. 12.* Et licet in prædictis casibus exceptis patri adimatur ususfructus, administratio tamen ipsi eapropter interdicta vel minime videtur. Quin potius dicendum, quod magis ipsi patri, quam Curatori dativo hæc administrandi facultas concedenda sit; cum patet optimum pro liberis consilium capere semper præsumatur *per l. 7. C. de d. Curat. furios.* Cæterum ab ipsius liberrima voluntate administratio isthæc dependet; unde si noluerit libere ab ea recedere potest. Ut ut autem pater in peculio adventitio Regulari, cujus legitimus itidem administrator est, *l. 1. C. de bon. mat. l. 6. §. 2. C. d. bon. qua lib.* ab onere rationum redditionis, *l. 6. §. 2. l. 8. §. 4. C. d. bon. qua lib.* inventarii confectionis, *l. ult. § ult. in f. C. de bon. qua lib.* aliisque his similibus sit immunis: In hoc tamen adventitio peculio Irregulari res longe aliter sese habere videtur; neque patris conditio hoc in casu melior est, quam alterius cujusque Curatoris vel administratoris. Unde non modo ad illa omnia, in quibus ipsum ratione adventitii peculii regularis excepimus, tenetur onera: sed & reliqua, quæ aliis Curatoribus & administratoribus ratione officii ex legis præscripto præstanda sunt.

Libera & Spontanea

Legibusque consentanea.

XXIII.

Si vero Filius perfectæ sit Ætatis: plenissima ipsi harres administrandi competit licentia: a) quæ declaratur vel Per Ampliationem. quæ involvit

Filius itaque famil. præfectos, & à lege requisitos ætatis annos assecutus, suas res adventitias Irregulares, *(a)* quo vult modo administrat. Hinc de illis licite quoscunque *(c)* contractus inire *Nov. 117. c. 1.* & quia dominus illarum rerum est, Procuratorem etiam in iis constituere potest, *arg. l. 8. ff. d. procurat.* Quamvis autem regulariter, ut omnis civilis obligatio, *§. item inutilis, I. d. inut. stipul.* Ita emtio quoque & venditio inter patrem & filium nullo modo subsistere possit. *l. 2. ff. d. contr. emt.* Hæc tamen regula, emtionem & venditionem inter prædictas personas non constare, procedit illis tantum in casibus, in quibus filius patri acquirit. At quoties ex singulari legis dispositione & privilegio, filius ea, quæ obveniunt aliunde, pleno jure, non patri, sed sibi acquirit, toties cessat illa juris regula, & per consequens non Emtio, Venditio modo, sed & alii quoque civiles contractus inter ipsos intercedere possunt. Sic pater

mu-

mutuam à filio accipiens pecuniam de peculio Castrensi vel quasi & hoc Irregulari adventitio, ipsi sine dubio efficaciter obligatur. Aliud dicendum, si patri filius mutuam det pecuniam, de Peculio Profectitio; nam hoc in casu non contrahitur mutuum, quia hæc pecunia in rei veritate ipsius patris propria & manet; equitati autem adversatur, reddere illud ipsum alii, quod omni jure ad me pertinet. *l. 14. §. 3. ff. d. in diem addict.* Enenk. *d. tr. privil. 5. cap. 1. n. 9. & seqq.* *non tantum Liberrimam contrahendi potestatem. b)*

XXIV.

Cùm igitur filiusfam. hoc peculium pleno possideat jure, deque eo pro suo arbitrio ut Dominus contrahere, se aliis, aliosve sibi obligare possit *Nov. 117. cap. 1.* consequens est, ut illa, quemadmodum libere administrat, alienare quoque possit: quia præcipuus dominii effectus est; alienandi facultas, & nihil æquitati naturali tam conveniens est, quam voluntatem domini rem suam in alium transferre volentis ratam haberi *§. 40. I. d. R. divis.* Dn. Ludw. *in tr. d. ult. Vol. illiq; annexo comment. ad l. 6. C. d. bon. quæ lib. p. 607. circa fin.* Enenk. *d. tr. priv. 4. c. 4. n. 8. in fin.* Præterea sicuti in adventitio regulari pater non tantum legitimus est usufructuarius, sed & actiones quoque intentare potest; *l. 8. §. 3. vers. ubi C. d. bon. quæ lib.* ita ex adverso in iis rebus, in quibus pater nihil juris habet, jure Civili, solus filius agendi (excepto casu, quo filius recusante patre, hereditatem, vel legatum, vel aliud quid acquisivit, *l. 8. pr. C. d. bon. quæ lib.*) facultatem habet *Nov. 117. c. 1.* adeo, ut nec patris consensum efflagitare opus habeat Castillo *d. usufr. c. 3. n. 14. & seq.* An vero filius de rebus hujus peculii etiam cum ipso patre experiri in judicio possit? non omnium eadem est sententia, negat hoc Dn. Ludw. per communem juris regulam; quod inter patrem & filium, qui in patris sui potestate adhucdum constitutus est, nulla lis, nulla actio esse possit *l. 4. ff. d. judic. l. 7. ff. d. O. & A.* Contrarium tamen defendit Enenk. *in d. tr. suo priv. 18. n. 4.* *Sed & Alienandi facultatem. Unde de his rebus. recte in judicio agit.*

XXV.

Quod de Emtione, Venditione, & mutuo dictum fuit, id in Donationibus quoque obtinet. Quamvis enim donationes inter vivos inter patrem & filium, qui in ilius potestate existit, non subsistant, *l. 11. l. 17. C. d. donat. l. 1. §. 1. ff. pro donat.* Attamen sicuti pater filio suo ex causa Castrensi vel quasi & filius patri de rebus Castrensibus vel quasi efficaciter donat; *l. 1. C. d. Castr. pec. l. 11. ff. eod.* ita etiam filiumfam. de *Licite donatam Inter vivos.*

re-

rebus hujus peculii adventiti irregularibus patri inter vivos donare posse, nulli dubitamus. Nec aliud dicendum esse existimamus de Mortis causa donatione; ita ut filius hasce res adventitias, quarum plenum habet dominium etiam M.C. & patri, & extraneo donare non prohibeatur; adeo ut in donatione extraneo facta nec patris consensus sit necessarius. Non obstante *l.7.§.4.ff. d. donat. l. tamen 15,25. ff. d. M.C. donat.* quæ patris consensum ibi requirunt, non tam propter personæ conditionem; quam rerum illarum qualitatem & interesse patris, qui in peculio profectitio plenam habet proprietatem, cujus administrationem licet filio permiserit, non tamen eo ipso donandi potestatem dedisse videtur. Donare enim non est administrare, sed perdere, *l.7.pr.d. donat.* Ex quibus haud obscure colligitur, quod eo in casu, ubi patris interesse cessat, filius etiam sine consensu ejus M.C. donare possit; idque non tantum in rebus Castrensibus & quasi Castrensibus, sed etiam in adventitiis, quarum plena ad filium pertinet proprietas verum esse, audacter pronunciamus, Berlich. *p.3.concl.1.n.7.*

quam Mortis causa.

XXVI.

Quantumvis autem filius mutuam dare possit pecuniam (ut supra thesi 21. innuimus) nihilominus tamen ipse, utcunque liberam de rebus adventitiis irregularibus disponendi habeat facultatem mutuam pecuniam propter prohibitionem Scti Macedoniani, etiam ratione hujus peculii, accipere & eo ipso efficaciter sese obligare posse non videtur. Filius enim famil. in genere prohibetur accipere mutuam pecuniam: ab hac autem regula tantum excipitur filius, qui pro patrefam. habetur. Cum autem hic quoad hanc peculii speciem nusquam in jure pro tali habeatur, ideoque hoc in casu regulæ inhærebimus. Neque huic Scto Maced. filiusfam. renunciare potest, licet renunciationi juramentum accesserit, Trentac. *lib.3. Resol. 19. num. 20.* Bachov. *ad Treutl. Vol. 1. disput. 20. th. 7. l. d.* Si vero filiusfam. sui juris factus illam renunciationem Novatione facta fide iterata confirmaverit, Scto amplius locum non esse certissimum est. Enenk. *d. Tr. Priv. 12. cap. 3. num. 4.* Cæterum quæ dicta sunt de prohibitione Mutui ratione filii, ultra pecuniam numeratam non extendenda. Reliquas enim res omnes filiusfam. mutuas valide accipere potest, modo Scto fraus fiat nulla.

Vel Per Limitationem. *ita ut non possit,* 1. *Mutuam accipere pecuniam licet.* *Scto Maced. renunciaverit, vel simpliciter, vel jurato.*

XXVII. Cum

XXVII.

Cum autem ut superioribus thesibus commemoravimus, tantum in hoc peculio facultatis habet potestatisve filiusfam. ut de eo pro lubitu & liberrime disponere, & non modo regulariter omnes inire contractus, sed etiam M. C. de eo donare possit; omnino asserendum quoque videtur, quod & super his bonis Testamentum facere possit. Et sunt quidem haud pauci, qui affirmativæ sententiæ patrocinantur, & à filii partibus stant. Nos tamen illorum argumentis conflictui reservatis, nequicquam renitentibus, adversam partem, frustra scilicet filiumfam. sibi in his bonis testamenti factionem polliceri, merito defendimus. Quam etiam confirmant LL. XII. Tabb. patribus saltem, non vero filiis testandi jus indulgentes. A qua regula tantum excipiuntur res ex causa Castrensi vel quasi Castrensi quæsitæ. §. *1. per quas person.* Deinde illam clarissimis verbis confirmat, *l. pen. C. qui test. fac. poss.* Cui sententiæ nostræ quamplurimi etiam celeberrimi nominis JCtorum suffragantur. Dn. Ludw. *in d. tr. pag. 194. & seqq.* Rittersh. *ad Novell. p. 5. c. 15. & ult. n. fin.* Enenk. *d. tr. priv. 16. c. 2. n. 1. & 2.* Schneidew. *ad tit. I. quibus non est permiss. fac. test. pag. m. 585. n. 11.*

II. *Testamentum facere, quod declaratur*

XXVIII.

Prædictis & hoc addimus, nec exinde ejusmodi Testamentum vires suas accipere atque substantiam, licet patris consensus accesserit; *l. 6. pr. ff. qui test. fac. poss.* vel pater ipsum quoad hunc actum emancipaverit. Enenk. *priv. 16. cap. 3. n. 6. & 7.* Et si de facto filiusfam. quoad hæc bona testamentum fecerit, quamvis illam adjecerit clausulam: Si non valeat jure Testamenti, valeat tamen jure Codicillorum, vel alterius alicujus supremæ voluntatis; esse tamen & hanc dispositionem nullius ponderis momentique, neque subsistere posse recte docet Berlich. *p. 3. conclus. 1. n. 17. vers. ex quo collig.* Nam filiusfam. nec Codicillos facere, neque etiam legata vel fideicommissa relinquere potest, vid. *gloss. ad L. pen. C. qui test. facere possunt. l. 2. d. Leg. 1.* Quod adeo verum est, ut Testamentum filiifam. vel ejus Codicilli nec ad pias causas valeant. Quanquam filiofam. favore earum moto, hoc non prohibendum, neque ab hac sententia vel in judicando vel in consulendo recedendum esse, existimat Schneidew. *in Comm. ad I. Tit. quibus non est permiss. fac. Test. ad pr. n. 1.* Nisi statuto contrarium sit introductum. Posse enim mediante

Vel Ampliando, ut non valeat, etsi 1. Patris consensus accesserit. 2. Vel pater ipsum quoad hunc actum emancipaverit. 3. Vel filius clausulam adjecerit Codicillarum.

diante legis ejusmodi statuariæ filiofamil. testandi licentia trib. nullus inficiabitur. Enenk. *d. tr. priv. 16. cap. 3. n. 1.* vid. Würtemb. Land r. *p. 3. tit. 2.* §. Und wiewol.

XXIX.

2. Patris: *Cujus conditio alia est vivente filio: quo casu nihil omnino juris habet, nisi, quod ipsi egenti Alimenta præbere debeat filius. idq; jure 1. Divino. 2. Natura. 3. Gentium & Civili.*

Quemadmodum vero filiusfam. in peculio adventitio Regulari præter proprietatem nihil præterea utilitatis habet, sed patri omne commodum & emolumentum quæritur: Ita ex adversa parte in hac altera adventitii peculii specie, quam Irregularem sive Extraordinariam persæpe appellitavimus pater omnino nihil, quod sibi vel usui vel utilitati esse possit, imo ne minimam quidem commoditatem inde sperare potest, *arg.* Nov. *117. cap. 1.* Harppr. *ad l. Tit. per quas person. pr. num. 13.* Sanchez. *d. L. & C. dub. 13. num. 2.* Castillo *d. usufr. c. 3. n. 58.* Dissentit Enenkel. *priv. 4. cap. 4. n. 19.* Trent. *lib. 1. tit. d. pecul. Resol. 5. num. 14.* Illum tamen paupertate pressum & egestate laborantem alere tenetur filius: Heig. *p. 2. quæst. 13. n. 17.* idque non tantum Divino jure, quod dum parentes honorari, eo ipso quoque alimenta eis præstari jubet; Cum paternæ reverentiæ (ut inquit LLtor *in l. 50. ff. ad SCt. in Treb.*) lege divina mandatæ, congruum sit, parentibus egentibus liberos subvenire. Sed etiam Naturali; quia natura ipsa hoc imperat, nosque parentibus primum conciliavit, adeoque illos non alere nefarium, imo impium esset. Ab hoc Divino, Naturæque jure quam minime recedunt Jus Gentium & Civile, sed cum illo unanimi consensu conspirant: cum illud Gentium scil. barbaros etiam populos approbasse ex historiarum monumentis sit notum; Jus autem Civile omnibus idipsum modis præcipiat per *l. ult. §. ipsum aut. C. de bon. qua lib.*

XXX.

Alia Mortuo illo: *Cujus tunc legitimus cum aliis personis est successor.*

Licet autem patri usufructus quidem in rebus adventitiis Irregularibus filiifam. sit ademtus; non ideo tamen ille ab ordine successionis exclusus debet censeri. Constituit etenim Imperat. ut filio tale peculium habente sine liberis demortuo, pater & mater una cum fratribus defuncti utrimque conjunctis in capita seu virilem portionem succedant Nov. *118.* Perez. *in C. ad d. Tit. n. 13.* Cum igitur LL. deferant patri successionem in bonis liberorum, ideo ex tacita testatoris voluntate (ac si is eo ipso, quo exclusit patrem ab usufructu, illum simul à successionis jure excludere voluerit) hæc ipsi successio non est invertenda;

quippe

quippe quia Testator id voluisse præsumitur, quod lex ipsa disponit Dn. Carpzov. *p. 2. c. 10. d. 15.*

XXXI.

Cognata sunt reliqua Peculia, & quidem I. Profectitium, à quo tamen nostrum in eo differt: quod illud vel in totum ex re patris, vel ipsius tamen contemplatione & intuitu, tanquam causa proxima provenerit, & in totum etiam patris maneat, sola administratione filio ab ipso concessa; Hoc vero non ex re patris, neque etiam ipsius ratione, sed favore magis liberorum, aliunde & extrinsecus obvenerit, & non tantum quoad administrationem, sed etiam quoad proprietatem & usumfructum à rationibus paternis sit separatum. II. Castrense vel quasi Castrense, à quibus differt in hoc, quod prius ratione militiæ veræ sive armatæ, posterius vero ad prioris similitudinem sub colore quasi sive togatæ militiæ à rationibus paternis pleno jure sit separatum: Nostrum vero Irregulare nullo vel veræ, vel quasi militiæ prætextu liberis acquiratur, adque illos etiam omni jure, unica ipsis testamentaria dispositione adempta, spectet, & sic à patris rationibus disjungatur. In cæteris hæc tria pecúlia maximam inter se habent affinitatem. III. Adventitium Regulare sive Ordinarium, à quo discrepat, quod illud quoad proprietatem tantum à rationibus paternis, remanente usufructu & administratione apud patrem sit segregatum: Irregulare autem, quoad proprietatem & usumfructum cum administratione pleno jure à dictis rationibus divulsum sit atque sejunctum. Licet, si causam acquirendi spectemus, hæ duæ adventitii peculii species, sibi vivicem conveniant.

VII. Cognata *sunt reliqua pecúlia, & quidem* 1. Profectitium. 2. Castrense vel quasi Castrense. 3. Adventitium Regulare sive Ordinarium.

XXXII.

Retinet hoc Irregulare peculium filiusfam. eo quo dictum fuit modo & jure, illudque liberrime in omnibus (præter paucos exceptos casus supr. th. 24. & seqq. duabus expressos) omnino causis, quamdiu pater superstes est. Ipso vero rebus humanis per fatum exemto, hoc peculium quoque cessat & expirat, non dominii quidem vel proprietatis, sed nominis tantum ratione. Potestate enim patria morte soluta filius efficitur sui juris. Cum autem sui juris homo

VIII. Contraria *quo spectat Mors patris.*

 non

non possit habere peculium (*per thes. hujus Exercit 2.*) ideoque illud, quod ante peculium erat, patrimonium postmodum esse incipit; & quidem ipsius filii proprium, neque enim has res adventitias filius in divisione hereditatis cum reliquis fratribus conferre tenetur, *per l. ult. C. de Collationibus.* Atque hæc de præsenti materia Peculii Adventitii Irregularis dixisse sufficiant. Plura addere, nec temporis, nec instituti ratio, ad alia me vocans, permittit. Nos labori colophonem addentes filum hic abrumpimus, gratiasque, quantas quidem in hac mortali vita possumus, in sempiterna secula.



DEO T. O. M.
agimus!

